

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Verecundia s
cum fonte primo

Bonum in adolescente signum
est cum
illi ex alto rubor suffunditur.

Magis in iuuenibus apparet
quibus et plus caloris est et tenera
frons; ueteranos nichilominus et senes
tangit. Quidam autem non magis quam
cum erubuerint timendi sunt quasi
omnem uerecundiam effuderint.

Seneca XI. epistola.

Ubi se colligebat, verecundiam,
bonum in adolescente signum,
vix potuit excutere; adeo
illi ex alto suffusus est rubor.
Hic illum, quantum suspicor, etiam cum
se confirmaverit et omnibus vitiis
exuerit, sapientem quoque sequetur.
Nulla enim sapientia naturalia corporis
aut animi vitia ponuntur: quidquid
infixum et ingenitum est lenitur arte, non
vincitur. Quibusdam etiam
constantissimis in conspectu populi
sudor erumpit, non aliter quam fatigatis
et aestuantibus solet, quibusdam tremunt
genua dicturis, quorundam dentes
colliduntur, lingua titubat, labra
concurrunt: haec nec disciplina nec usus
umquam excutit, sed natura vim suam
exercet et illo vitio sui etiam
robustissimos admonet. Inter haec esse
et ruborem scio, qui gravissimis quoque
viris subitus adfunditur.

Magis quidem in iuuenibus apparet,
quibus et plus caloris est et tenera
frons; nihilominus et ueteranos et senes
tangit. Quidam numquam magis quam
cum erubuerint timendi sunt, quasi
omnem verecundiam effuderint;
Sulla tunc erat violentissimus cum
faciem eius sanguis invaserat.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium
epistulae morales*, 11, 1-4 (L. Reynolds
ed., vol.1, p.24, ll.6-23).